

cerit in constituendo pignore. v. g. qui in contractu mutui iustus est pro securitate recipiendi crediti pignus dare, debitor etiam pignus dat catenam, sed pro aurea supponit æream inauratam, is utiqve Stellionatus nomine tenetur *l. 36. pr. ff. de pignor. act.* Verùm ei contrarius est Paulus *lib. 5. tit. 25. Sentent.* Ubi is, qui vel aurum, vel argentum ponit, æs stannumve subjecit, pœnâ falsi coërcetur. Gothofredus putat, vel Ulpiano ignoratam, vel nondum editam fuisse constitutionem illam, ex qua verosimile sit, Paulum suam decisionem sumsisse. Sed Resp. Doctores: quòd oppositus locus è *tit. 25. Sentent.* loquatur non de ea æris vel stanni suppositione, quæ in crimen Stellionatus, sed, quæ in crimen furti, vel etiam falsi cadat. Aliàs Paulus in *l. 20. ff. de Furt.* expressè dicit: Si datum est aurum, deinde, cum dixisset, se ponderare, aut obsignare velle, æs subjecit: *furtum fecit*; rem enim pignori datam intervertit.

(III) *Si quis rem alienam ignoranti Creditori dederit. l. 16. §. 1. & l. 36. §. 1. ff. de Pignor. act. l. 2. & l. ult. C. de Crim. Stellionat.* Sed quid si alienans sine juramento, rem, quam oppignorat, suam & non alienam esset dicat, quæritur an is committat Stellionatum? Claud. Salmaf. *lib. de modo usurar. c. 14. p. 587.* duo conjunctim requirit, ut in alienæ rei oppignoratione Stellionatus crimen committatur, quæ singula ad hoc crimen inducendum non sufficiunt. (1) Perjurium. & (2) alieni pignoris Obligatio. Potest etiam pro ratione dubitandi afferri *l. 1. & 2. C. si res aliena pign. data sit.* Ubi simpliciter respondetur: Rei alienæ oppignorationem non valere, nec quicquam ibidem adjectum est de pœna ejus qui hoc fecit. Accedit etiam & hoc, quod res aliena vendi possit. *l. 28. ff. de Contrab. Emt.* & ejusmodi contractus habeatur pro valido. Sed Resp. (1) Verba *l. 16. §. 1. ff. de Pignor. act. & l. 3. §. 1. ff. Stellion.* esse generalia, quibus indicatur, Eum, qui rem alienam oppignorat, esse *Stellionem*, nec ibi distinguitur: An alienator adjunxerit perjurium, vel non. Ubi itaque Lex non distingvit, nec nos distingvere debemus. (2) specialis casus habetur in *l. 2. C. de Crim. Stellion.* Ubi Pater tenetur crimine Stellionatus ea de causa, quod res filio donatas tanquam suas & proprias obligaverit Creditori. Non eo sensu, quasi à filio possit Pater de hoc crimine accusari, hoc namque reverentia paterna non admittit, neque etiam filii quicquam interest, quandoquidem obligatio illa filio tanquam Domino rei obligatæ nihil quicquam potest præjudicare; Sed *Actio Stellionatus* datur Creditori, cui res aliena oppignorata est. Brunnemann, *ad d. l. 2. C. de Crim. Stell. p. 837.* Neque hic obstat *l. 3. ff. Stellion.* Ubi per-